brevi provincias percurrerunt, DC monasteria capta, quanta fluviorum aquae humano cruore mutata sunt, quot civitates obsessae, totus oriens plangit timore.

Concluditur ergo, quod Turci sint Trojani, per Turcum ducem ducti de Troja in septemtrionem orientalem ad asiaticam Scythiam, et quia ut viri truculenti bestialiter vivebant sine legibus, Alexander coegit eos secedere ultra hyperboreos montes et tauricuntas insulas, contra aquilonis ubera includens eos, exitus viarum obstruens et claudens; successu autem temporis, cum Machometus diabolus incarnatus jam esset missus in mundo, et Satanas solutus a suis claustris orbem pervertere incepissent, irruperunt etiam et Turci montium claustra non absque diaboli potentia, et coglobati Machometistis fines Christianorum usque hodie non cessant infestare.

Est etiam notandum, quod dum lex Machometi inciperet circa annos Domini sexcentesimos, sub Bonifacio V. et Heraclio imperatore, vixerunt cultores legis turpiter et inhumaniter. Sed anno Domini MCCLXXX. inceperunt inter eos fieri prodigia mendacii et religio dolosa, et crudelissima quaedam humanitas ad Christianos, qua parcunt sub se degere volentibus, nec abnegare cogunt, nam antea semper cruento gladio in Christianos saeviebant, et tunc multo minus in corporibus, in animabus et rebus nocere poterant, quam cum ipsa impiissima humanitate, et simulata aequitas duplici praeponderat iniquitate, secundum Augustinum. Et tantum sufficiat dictum de illo.

Salamina ergo Cypri, civitas Teucri vetusta, praeter hoc, quod fudit nobis odiosos detestabilesque Turcos, edidit nobis S. Barnabam Apostolum, qui ibi martyrium sustinuit, et amabilem sanctamque virginem Catharinam, quae ibi nata esse dicitur, et in loco nativitatis capella hodie peregrinis monstratur. Nam Costus in Salamina sui regni habuit sedem Hanc civitatem nonnullae historiae Constantiam Cypri nominant, quod est nomen ejus novum, ut dicit Hieronymus de vita et obitu S. Paulae. Quidum autem historiam S. Catharinae legentes, dum legunt eam in Constantia natam, putant, Constantiam illam (**157 a**) esse Germaniae urbem, super chronicum lacum vel potamicum sitam, unde ibidem solet monstrari locus suae nativitatis, sed non verus.

Insuper in Salamina fuit sanctus vir, ille antistes Epiphanius, cujus persaepe mentionem facit cum ingenti praeconio S. Hiero-

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;